



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCLI. Ioannis Papae VIII. Ad Imperatores Avgvstos. Commendat  
eorum studium in ecclesiae concordia stabienda. monet, vt in eo  
persistant. agit gratias de dromonibus auxilio missis. de ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

EPISTOLA CCLI.  
 IOANNIS PAPÆ VIII.  
 AD IMPERATORES AVGVSTOS.

Commendat eorum studium in ecclesiæ concordia stabilienda. monet, vt in eo persistant. agit gratias de dromonibus auxilio missis. de monasterio sancti Sergii, & de Bulgarorum dioecesi sedi apostolicae restituta. roget vt Dei ecclesiam tueatur. demum ea quæ pro Photio in Synodo Constantinopoli acta sunt, se approbare significat, si tamen legati contra sua iussa non egerint.

*Imperatoribus Augustis.*

POST innumeras solicitudines, quibus nimirum oneratur imperiale fastigium, laudabile clementiæ vestræ cognoscimus Christianissimi imperatoris esse propositum; per quod summotis omnibus discordiarum, atque zizaniorum seminibus, quæ in agro dominico humani generis inimicus asperferat, sanctæ catholicæ ecclesiæ piissimo mentis affectu consulere voluistis. In quo scilicet animi voto, ac desiderio, quantum rebus humanis facere prouidentia diuina dignetur, solicitude clementiæ vestræ Spiritu Dei incitata demonstrat; quæ in catholica ecclesia misericordem per auctoritatem & iudicium sedis apostolicae, quæ Christo Domino delegante, totius ecclesiæ retinet principatum, nihil impacatum, nihil voluit esse dinersum: cum omnes schismatica prauitate diuinos, vel zelo quolibet separatos, atque dispersos, clementi affectione, vel studio ad vere pacis soliditatem, concordiaque sincerissimæ vnanimitatem reuocare, & in uno Christi ouili cum proprio pastore, Photio videlicet confratre & commissario nostro, aggregare curauit. Pro quibus videlicet nostri pastoralis magisterii officium est, apud serenitatis vestræ Augustalem clementiam assidua semper solicitudine omnimodis intercedere; vt vestræ pietatis maiestas, more Christianissimorum imperatorum, benigna circa omnes existat; & quasi Deo contemplante, populum Domini sibi commissum felici regat semper & gubernet intuitu, nec amplius patiatur eos aliquibus sæculi huius procellis illidi, aut malignis perturbationibus concuti: quatenus

Oo iii

post hoc vitæ præsentis , imperium cæleste adipisci , & in  
æternum cum Domino retinere valeatis. Nunc itaque pro  
tanta deuotione , animique vestri sinceritate , quam non  
solum verbis , sed lucifluis etiam operibus circa ecclesiam  
sancti Petri , & nostram paternitatem ostendistis , immen-  
sas post Deum serenitati vestræ gratias agimus. Primo qui-  
dem , quod dromones vestros , qui pro defensione terræ  
sancti Petri in nostro manerent seruitio , nobis misistis. Se-  
cundo autem , quod monasterium sancti Sergii intra ve-  
stram regiam vrbem constitutum , quod sancta Romana  
ecclesia iure proprio quondam retinuit , diuina inspiratio-  
ne repleti , pro honore principis apostolorum nostro præ-  
fuslatui reddidistis. Tertio vero vobis grates multas refe-  
rimus , quia Bulgarorum diœcesin pro amore nostro  
gratanti animo sancto Petro , vt iustum erat , permiseritis ha-  
bere. Vnde obnixe petimus , vt vestro potenti solatio san-  
ctam Romanam ecclesiam in hoc periculo tempore in  
omnibus adiuuare , defendereque non dedignemini : qua-  
tenus ex hoc vestræ imperialis gloria apostolicis suffragan-  
tibus meritis , per cunctas mundi partes magis ac magis ac-  
crescat , & apud omnipotentem Dominum dignam retraci-  
tionem percipiat. Et iterum humiliter petimus , vt in  
huius bona voluntatis ac pietatis affectu , quem pro amo-  
re Dei circa ecclesiam Christi habetis , immobiles perma-  
neatis : quoniam nos Augustalem excellentiam vestrarum  
vlnis extensis amore paterno amplectimur , & honore de-  
bito veneramur , atque assiduis orationibus nostris , iuxta  
sacrosancta beatorum apostolorum Petri ac Pauli corpo-  
ra fusis , omnipotenti Domino commendare studemus , vt  
pro tantis beneficiis , quæ sancto Petro impenditis , ipse  
vobis , & in hoc præsenti sæculo vestrum sanctum impe-  
rium cum omni prosperitate magis ac magis conseruet in-  
colume , clarisq; semper dignetur vbiique decorare trium-  
phis ; & in cælesti postmodum regione sempiternam glo-  
riam & beatitudinem cum sanctis & electis suis habere  
concedat . Nam & ea , quæ pro causa restitutionis reue-  
rendissimi Photii patriarchæ synodali decreto Constanti-  
nopoly misericorditer acta sunt , recipimus : \* Et si fortasse  
nostrí legati in eadem Synodo contra apostolicam præ-  
ceptionem egerint , nos nec recipimus , nec iudicamus ali-

cuius existere firmitatis. Data Idibus Augusti, indictione decimatertia.

## NOTA.

*[Et si fortasse nostri legati.]* Hanc Synodum pseudooctauam a Ioanne VIII. ceterisque eius successoribus pontificibus & a Concilio Florentino reprobatam fuisse, præter alia, de quibus infra, indicant ista verba. Vide quæ notauimus in Conciliabulo Constantinopolitano, sub Ioanne papa VIII. infra, verbo *Reprobatum*.

## EPISTOLA CCLII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

## AD CAROLVM REGEM.

Gratias agit de eius erga sedem apostolicam obseruantia. suam erga eum benevolentiam testatur. aduentum eius pro ecclesiæ necessitatibus expectat, monetque ut aliquem legatum mittat. queritur de Georgio quodam excommunicato, qui ipsius imperatoris auctoritate fultus bona Romanæ ecclesiæ inuaserat. rogat ut promissa auxilia mittat.

*Excellentissimo d<sup>o</sup> dilecto filio Carolo glorioſo regi.*

**R**ELEGENTES regalis excellentiæ vestræ literas, deuotionem vestram quam circa sanctam ecclesiam matrem vestram, & circa nostrum pontificium habetis, luce clarius nouimus; vnde multiplices gloriæ vestræ gratias referimus. Nam & nos vos semper quasi dilectum & spiritalem filium retinemus, & pio mentis affectu desideramus amplecti, & pro augendâ gloria vestra assidue sollicti incunctanter existimus. Quod autem nobis mandastis, vt vestrum optatum præstolaremur aduentum, pro eorum aduersitatibus emendandis, qui nobis contraria inferre, & qui a nostra ditione homines nostros subtrahere præsumunt; nos quidem vestrum aduentum toto desiderio pro tantis ecclesiæ Dei necessitatibus, quæ ad augmentum gloriæ vestræ sunt emendandæ, omnimodo optamus inspicere. Sed sicut vobis nostris iampridem apostolicis literis suggestimus, vt vestrum idoneum missum nobis direxissetis, cum quo aliquid de ecclesiasticis vtilitatibus potuissemus perficere; pro qua causa non eum miseritis, mi-